



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Octavum. Encomium Marianum Octavum Et Nonum. Mater Inviolata
Et Mater Intemerata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

CAPUT OCTAVUM.

*Encomium Marianum Octavum
Et Nonum.*

MATER INVIOLOTA
Et MATER INTEMERATA.

Beatissimam virginem ab originali culpa immunem fuisse in encomio mediate præcedenti sufficienter ut reor demonstratum est. Superest ut in præsentī encomio immunitatem ab omni peccato etiam actuali sive mortali, sive veniali demonstremus: Hanc enim immunitatem quodammodo indicant encomia allata, intemerata, inviolata, quæ secundū *Calepinum* idem sunt ac immaculata. Quam immunitatem beatissimæ Matris ab omni peccato ratione hac ostendit Doctor Angelicus: *Non fuisset inquit idonea ut esset Mater Dei si peccasset aliquando: tum quia honor parentū redundat in prole. secundum illud Prov. 17. gloria filiorum Patres eorum: unde & per oppositum ignominia matris ad filium redundasset: tum*

L 5 etiam

etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum qui ab ea carnem accepit dicitur autē 2. Cor. 6. quæ conventio Christi ad Belial? tum etiam quia singulari modo Dei filius qui est Dei sapientia habitavit in ipsa, non solum in anima sed etiam in utero, Sap. 1. in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te, macula inquā nec culpa mortalis nec venialis.* Hucusque Doctor Angelicus & congruenter: Cum enim peccatum nihil sit aliud proprie loquendo nisi carentia virtutum debitarum inesse, item privatio gratiæ sanctificantis si sit mortale aut saltem diminutio fervoris charitatis, imo nihil: demonstratumq; sit supra beatissimam virginem fuisse gratia plenam omnibusque virtutibus exornatam, nequaquam in ea potuit esse peccatū utpote quæ numquam carverit gratia sanctificante, nec unquam diminutionem fervoris intensissimæ suæ charitatis sustinuit. Quæ intuentes Patres in
Conci-

Concilio Claromontano sub Urbano 2. celebrato & Concilio Trident. Sess. 6. Can. 23. decreverunt beatissimam Virginem ab omni peccato tam mortali quam veniali liberam esse: Verba Concilij Trident. sunt: si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neq; gratiam amittere, atq; ideo eum qui labitur & peccat, numquam verè fuisse justificatum aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia anathematis: Videturque hanc sententiam Concilium desumpsisse ex præfule Hipponensi Augustino, qui lib. de nat. & gratia cap. 36. de peccatis & peccatoribus agens, solam Beatissimam Matrem ab illis excipit: Excepta inquit sancta MARIA de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur habere volo questionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.

§. I.

HAnc ab omni peccato immunitatem Hadumbrare cupiens Psalmographus
Regius

Regius : loquens de adventu filij DEI in
 castissimum MARIÆ Virginis gremium
 postquam dixisset; *fluminis impetus letificat
 civitatem Dei* (scilicet beatissimam Virgi-
 nem) *sanctificavit tabernaculum suum altissi-
 mus*, mox subjungit *Deus in medio ejus non
 commovebitur*: ac si diceret Deus omnipo-
 tens redempturus genus humanum huma-
 namq; assumpturus naturam nullo modo
 commovebitur, sed immobilis prorsus
 persistet: *Deus in medio ejus non commovebi-
 tur*. Quid hæc sibi volunt Psalmista David?
 quomodo possibile Deum incarnari de
 cælis ad terrâ descendere nec tamen com-
 moveri? An non hic est ille de quo alio in
 loco asseris: *In sole posuit tabernaculum suum
 & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo
 suo: exultavit ut Gigas ad currendam viam à
 summo celo, egressio ejus & occursum ejus usque
 ad summum ejus?* An non hic est de quo
 sponsa in Canticis *Ecce iste inquit venit sali-
 ens in montibus transiliens colles*. Et iterum
*Fuge dilecte mi similis esto capreae hinnuloque
 cervorum?* Si ergo de cælis descendit in ter-
 ram venitque in gremium virginis, quo-
 modo se non movebit? sed mirari desina-

mus,

mus, voluit namque Regius Psaltes verbis jam dictis puritatem B. Matris Dei ab omni peccato adumbrare: non solet enim Deus moveri aut commoveri de loco in locum, cum sit immensus & ubique juxta quod dicit per prophetam *Cælum & terram ego impleo*. Ac proinde solum legatur Deus commoveri aut moveri per peccatū, dum scilicet qui fuit in peccato, justificatur, fitq; amicus Dei, & iterum recipit gratiam quā amiserat per peccatum: vel contra peccando amittit gratiam Divinam quam ante habuerat: sic vix Adam peccaverat cum uxore sua, & mox se movit Deus: cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem nimirum: quia recesserat ab eis Deus per gratiam & justitiam originalem, quam peccando amiserant: significare ergo volens psalmista Beatissimam Virginem nullum unquam admisisse peccatum asserit Deum in ipsa numquam esse commotum: *Deus inquit in medio ejus non commovebitur*. Confirmat hunc conceptū testimonio S. Ambr. *His igitur inquit ille fluminis superni meatibus civitas illa in qua Deus inhabitat irrigatur*

tur & sanctificatur altissimi tabernaculum. Et post pauca bonum inquit tabernaculum quod nulla potuerunt obumbrare peccata. Et tandem subdit: nec mirum quando Deus in medio civitatis ejus erat nec commotus est: quia sive quia nullius peccati prolapsione commotus est Dei filius, nec alicujus erroris offensione titubavit aut corporalis illecebra nutavit impulsu, sive quia non reliquit animam ejus Dei gratia, sed inseparabilis in ea mansit, quod ab omni collusione delicti immaculata duraverit: unde & ad patrem Dei filius dixit, nec derelinques animam meam in inferno. Ergo quia suberat ei nec in carne peccare divine ait: Ego in patre & pater in me est: Et alibi, traditus sum & non egrediebar ab eo utique non egrediebatur cui dixit postea: Exsurrexi & adhuc sum tecum. Vbi autem gravius peccat commovetur in eo Deus ut ab eo transeat. Vnde & Adæ peccanti deambulare visus est: & Stephano stare & quia ille in prævaricatione lapsus est hic in martyrio coronatus, Deus ergo in medio ejus non est commotus.

§. 2.

Summus Deus noster puritatis amator & zelator est: ipse enim est ignis consumens

mens peccatorum rubiginem, de quo dicitur *Malachia 3. & ipse quasi ignis conflans & herba fullonum* qui & monet per prophetam *Moysen, LEV. II. sancti estote quonia ego sanctus sum*: maximam tamen requirit puritatem in ijs quæ ad ipsum aut ad ipsius cultum proxime spectant: Hinc *Exod. 28.* mandavit *Moysi, facies laminam* inquit *de auro purissimo in quo sculpes opere calatorio sanctum Domino*: Hoc sanctum Domino nomen erat Dei ineffabile *Tetragrammaton*, uti ait *Philo* in vita *Moysi* quod ipsum nomen in eadem lamina inscriptum & cydaræ seu mitræ pontificiæ impositum adoravit *Alexander Magnus* occurrente sibi extra *Hierosolyman* in ornatu festivo ipso summo Pontifice. Nomen igitur suum non nisi in auro & purissimo quidem inscribi & collocari voluit Deus. Pari modo *Exodi 30.* Sacerdotibus lotionem præscripsit in lege antiqua: *Emissa* ait *aqua lavabunt in ea Aaron & filij eius manus suas & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare ut offerant in eo thymiama Domino ne forte moriantur*: Eadem de causa clamat ad Levitas per Prophetam *Mundamini*

mini

*mini qui fertis vasa Domini: Sic & Dominus
 populū suum allocuturus prius iussit mun-
 dare & lavare vestimenta sua, ut ita Deo ad
 Moysen loquente astare possent, & quidem
 nec in monte ipso in quo Dominus Moysi
 loquebatur stare permittebat, sic enim ait
 Moysi dices ad eos: Ex. 19. Cavete ne ascendatis
 in montē nec tangatis fines illius, omnis qui te-
 tigerit montē morte morietur manus non tan-
 get eum, sed lapidibus obruetur aut confodietur
 jaculis. Quod si tantam exegit puritatem &
 munditiam in lamina, in quo solum suum
 nomen inscribendum erat: si tantam san-
 ctitatem in Levitis sacerdotibusq; sibi mi-
 nistrantib' & populo sibi solū astituro: quā-
 tam putamus exegerit sanctitatem purita-
 tem & innocentiam in ea quæ meruit fieri
 habitaculum ipsiusmet filij unigeniti Dei:
 profecto oportuit eam ab omni peccati
 nævo esse immunem, decuit certe ut bene
 afferit Anselmus tantā hanc virginem puritate
 nitere qua major sub Deo nequit intelligi. Et S.
 Cyrillus Alexand. lib. contra Nestorium Te-
 merarium dicit esse in MARIA Virgine propter
 filium ponere culpam aliquam vel peccatum. Et
 denique S. Hieron. super caput decimum,*

Eccle^a

Ecclesiastis docet B. Virginem liberam
fuisse ab omni peccato & cortice peccati.

§. 3.

Percussis à Phylistym Israëlitis quemad-
modum narrat lib. i. Regum cap. 5. ca-
pta quoque est ab iisdem Arca Dei: *Phy-
listim autē inquit textus tulerunt Arcam Dei
& asportaverunt eam à lapide adjutorij in azo-
tum: Tuleruntque Philistym Arcam Dei & in-
tulerunt eam in templo Dagon, & statuerunt
eam juxta Dagon. Cumq; surrexissent diluculo
azotij altera die ecce Dagon jacebat pronus in
terra ante Arcam Domini. Et tulerunt Dagon
& restituerunt eum in locum suum. Rursumq;
mane die altera consurgentes: invenerunt Da-
gon jacentem super faciem suam & in terra co-
ram Arca Domini caput autem Dagon, & duæ
palme manuum ejus abscissæ erant super limen:
porro Dagon solus truncus remanserat in loco
suo. Pulcherrima profecto figura immuni-
tatis in Beatissima Virgine ab omni pecca-
to. Quid enim per Dagon idolum Phili-
stinorum aliud quam peccatum quod ho-
minem à Deo apostare facit, & in creatura
ultimum suum finem ac Deum constitue-
re intelligitur? quid è contra per Arcam*

M

Dei

Dei nisi Beatissima Virgo designatur? Hæc
 est enim teste *Ioanne Damasc.* serm. de As-
 sumpt. B. Virginis *sacra & animata Arca Dei*
viventis quæ suum in utero gesta vit artificem:
Virgo immaculata quæ nullis terrenis est iniqui-
nata affectionibus, sed celestibus educata cogita-
tionibus & S. Albertus Magnus Regina celorum
inquit est Arca exultationis, &c. De quibus
 latius in titulo Fœderis Arca. Quemad-
 modum ergo non poterant in eodem tem-
 plo simul stare Arca & idolum, ut potè san-
 ctitas & iniquitas, sic nec in B. Virgine po-
 tuit ullum esse peccatum: *Quæ enim con-*
ventio Christi ad Belial? Quæ societas luci ad
renebras? Quid sanctitati cum iniquitate?
 hæc enim B. Virgo est Arca sanctificationis
 de qua per Prophetam dicitur, ps. III. *Surge*
Domine in requiem tuam tu & Arca sanctifica-
tionis tue. Hortus revera conclusus quem ut
ait Gregorius Nicomed. Antistes peccati co-
 gitationes intrare non potuerunt. Quam nul-
 la unquam sequior invalit cogitatio sic at-
 testante Doctore extatico *Dion. Carth.* qui
 serm. de Nat. Virg. gloriosæ ita de ea loqui-
 tur: *Tam copiosa gratia & virtus infusa est*
virgini summa, in utero matris quod num-
quam

quam peccavit nec mortaliter nec venialiter, ita quod numquam in ea surrexit aliquis inordinatus motus sensualitatis aut fornicis, numquam illicita cogitavit, numquam mala affectio, numquam inordinatum verbum locuta est, aut negligentia aliqua ei subrepsit. Et quidem solam ipsam præter filium incarnatum hoc habuisse, quod non peccaverit unquam mortaliter vel venialiter: disertis verbis ostendit *Richard. de S. Vict.* inquitens. *Nemo enim tam sanctus qui maculam non habuerit & defectum præter MARIAM, tota enim pulchra quam totam possedit gratia quia nullum in ea locum habuit peccatum. Quid enim vitij in ejus corpore aut mente vendicare sibi potuit locum* (inquit *S. Petrus Dam. serm. de Nat. Virg.*) *que totius divinitatis meruit esse sacrarium.*

S. 4.

QUOD si summam & infinitam peccati turpitudinem & malitiam penitus consideremus, non utique mirabimur ab eo B. Matrem Domini exemptam fuisse, imo eximi debuisse: grave quidem malum inter temporalia mala censemus mortem imo juxta *Aristot.* omnium terribilium ter-

M 2

ribi-

ribilissimum, & tamen tale ac tantum malum cum peccato comparari non valet: nam est peccatum quoque mors, sed animæ: sicut enim morte separatur anima à corpore, à qua corpus vitam & omne bonum suum recipiebat, sic per peccatum separatur Deus ab anima qui eidem vitam gratiæ & omnia bona sua communicabat. Unde S. Bern. serm. 15. in Cant. *An aliud ait est mors corporis, quam cum corpus sensu privatur & vita, peccatum quod mors animæ est, nec compunctionis mihi sensum nec confessionis reliquerat vocem & mortuus eram.* Quod si corporis mors adeò mala est, quid erit animæ mors? Cum mors corporis à morte animæ tantum distet, quantum ab anima corpus distat oportet. Denique per mortem homo corporis pulchritudinem amittit & summam contrahit deformitatem, unde quantumvis quis in vita corporis pulchritudine fuerit ornatus, sit *Absolon*, sit *Helena*, sit *Iezabel*, in morte omnis illa formositas abscessit & omnes oculos à tali corpore avertimus fœditatem illam non sustinentes: quantam vero tu animæ peccatoris esse deformitatem censes? deformis si-

cut

cut diabolus est anima talis : Et hoc verissimum absque hyperbolica exaggeratione. Dicite enim cur diabolus adeo horribilis est ? Tolle ab eo peccatum, Angelus erit, jungatur supremo Angelo peccatum, diabolus horribilis efficietur. Quod si tanta tãq; horribilis sit peccati deformitas, quis unquam credat Deum Deiq; filium unigenitum permisisse illo sanctissimam matrem suam coinquinari ? profecto tãti filij in tantam Matrem amor & honor hoc omnino ostendebant indignum : imo quod auget necessitatem hujus exemptionis est quod teste *Chrysof.* Hom. 30. *pejus sit peccare quam à Dæmone obsessum esse* : potest namque à Dæmone obsessus esse in gratia & manere amicus Dei: cum tamen existens in peccato mortali sit privatus gratiã, infensissimus Dei hostis & inimicus. Et hæc mens ejus concordat menti Evangelistæ dicentis *Christum è Maria Magdal. ejecisse septem dæmonia non quasi revera ipsa fuerit à septem dæmonibus corporaliter obsessa, sed quia mundaverit eam Christus à septem mortalibus, per quæ dæmonia septem intelligunt sancti Patres.* Quis jam

tantæ sit impudentiæ, qui asserere audeat Matrem Domini sponsam & sacrarium spiritus sancti ac totius SS. Trinitatis templum, demonis spurcitiâ unquam fuisse spurcificatû aut ab ipso dæmone obsessû?

Mellissus Doctor *Bernard.* miratur quam ob causam in festo gloriosissimæ Assumpt. B. Virginis Evangelio nulla Lazari mentio fiat, qui tamen germanus erat *Mariae & Marthæ* de quibus ibidem fit mentio: Causamque esse arbitratur quia nimirum per *Lazarum* pœnitentiâ designetur, quæ in B. Matre locum non habuit, ut pote quæ nullo peccato fuerit obnoxia: En verba cujus sunt serm. 2. in Assumpt. *Sed forte inquit curiosus quispiam requirat cur in præsentî Evangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sane me id quidem à proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim domum intelligi volens, Spiritus sanctus siluit non incongrue pœnitentiâ quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur ut in ea proinde scopa Lazari quaereretur. Quod si originalem à parentibus maculam contraxit sed minus à Hieremia sanctificatam*

ficatam in utero, aut non magis à Ioanne Spiritu S. repletam credere prohibet pietas Christiana. Hec enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo cum omnimodo constet ab originali contagio sola gratia mundatam esse MARIAM, quippe cum & nunc in Baptismate sola hanc gratiam maculam lauet & sola eam rasert petra circumcisionis: ut omnino piuum est credere proprium MARIA delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimq; etiam corde pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari, secedat inter vulneratos dormientes in sepulchris ut in thalamo virginali inveniuntur Martha & Maria tantum.

S. 5.

AT sanctitatem tantam & immunitatem ab omni peccato sanctissimæ Matri invidentes heretici, varias adducunt S. Patrum autoritates, ex quibus manifeste videtur colligi B. Virginem etiam peccasse mortaliter, maxime tempore amarissimæ passionis unigeniti sui, & quidem in confirmationem hujus opinionis adducunt primo quidem autoritatem *Origenis* in *Lucam*, qui exponens verba *Simeonis*: Et

tuam ipsius animam doloris gladius pertransi-
bit: per gladium illum intelligit scandalum
quod arbitratur B. Virginem passam in
morte filij sui, verba ejus sunt: Quid? puta-
mus quod scandalisatis Apostolis Mater Domini
à scandalo fuerit immunis? si scandalum in pas-
sione Domini non passa est, non est mortuus IE-
SVS pro peccatis ejus. Si autem omnes peccaverunt
& egent gloriâ Dei justificati gratia ejus & re-
dempti, utique & MARIA illo tempore scan-
dalizata est. Et subdit: Pertransibit infideli-
tatis gladius, & ambiguitatis mucrone ferieris
& cogitationes tue te in diversa lacerabunt.
 Secundo loco adducunt S. Chrysof. in ex-
 positione psalmi 13. ita loquentem: *Quando*
Christus fuit crucifixus non fuit qui faceret bo-
num, discipuli omnes fugerunt, S. Ioannes nu-
rus recedit: Petrus negat: ipsius MARIÆ Ma-
tris animum gladius dubitationis pertransijt.
 Tertio adducunt Theophilactum: *fortassis*
autem inquit ille & dolorem quem in passione
tulit, fortassis autem & scandalum dicit rom-
phæam quo offensa fuit. Eandem amplectitur
interpretationem hom. de occurfu Domi-
ni Amphilocheus: quam tamen non esse con-
sentaneam veritati arbitratur Simeon Me-
taphrastes

raphraſtes, imo MARIA indignam: Quod ſi attendamus ad rationem *Origenis* profeſto hæc nullius momenti eſt, licet enim concedamus MARIAM fuiſſe innocen- tem & immunem ab omni peccato, hinc tamen non ſequitur Chriſtū non eſſe mor- tuum pro ea: ſicut communiter concedi- tur *S. Ioannem Bapt.* & Prophetam *Hiere- miam* non peccaſſe mortaliter & tamen omnes nihilomin⁹ concedunt Chriſtum pro eis mortuum. Adde *Origenem* in multis alijs turpiter hallucinatum fuiſſe imo in multis condemnatum ut hæreticum, ſicuti dum docuit Chriſtum quoque paſſum pro Angelis, pro ſyderibus, animam ejus in cæ- lo beatam adhuc peccata noſtra lugere: dæmones aliquando ſalvandos & ſimili- bus. Hinc & hæretici ſcilic. *Brentius* & alij non ſunt audiendi qui hanc *Origenis* opini- onem ſunt ſecuti, & quia libenter dero- ganthonori tantæ Matris. Ad authorita- tem aliorum *S. Patrum* Reſp. vel quod ſit dubiū an illi libri ſint ipſorum, vel cum *D. Thoma* quod in hoc puncto erraverint. Ex- cuſari tamen quia ab, Eccleſia tunc tempo- ris adhuc nihil circa hæc definitum fuit.

Maxime autem hæc sententia videtur detestanda: quia imponit B. Virgini ignorantiam Prophetarum, qui de Christi morte & cruce locuti sunt frequenter, vel ignorasse quod ipse ejus filius toties de sua morte & cruce prædixisset: Cum ut *Ioannes & Mattheus* testantur B. Virgo conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, ut intelligamus jaculis prævisis minus in morte ejus fuisse percussam. Ad hæc indigna videntur pro incussa tantæ Virginis fide quæ ejus virtutis nomine ab *Elisabeth* præsertim commendatur, & maxime quia in morte filij sui indecorum nihil infidelitatemve sapiens egisse narratur, sed tantum laudatur ejus constantia & imperturbatus animus, qui tam atroci mortis supplicio filium affici potuit spectare: Juxta quod dicitur de ea: *Stabat juxta crucem IESU Mater ejus.* De quibus plura in titulo *Regina Martyrum.*

CAPUT NONUM.

Encomium Marianum Decimum.

MATER AMABILIS.

R Egresso Davide à gloriosissima illa Victoria qua Philistæum Goliathum prostra-